



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. D. Henr. Harpii Theologi Eruditiss. Ordinis
Minorvm, Ac Rervm Divinarvm Contemplatoris eximij.
Theologiæ Mysticæ Libri Tres**

Henricus <Herpius>

Coloniæ, 1611

Matrimonium spirituale inter Christum, & animam, quomodo initiatur,
confirmatur, & consummatur, ex recordatione beneficiorum Dei. Cap.
XCIX.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37362

Augustinū, intrat in animam omni voluptate dulcior, omni luce clarior, omni honore sublimior, omni amore secreto interior. Et iterum: Quis mihi det, vt venias in cor meum o Deus meus, & inebries illud, & obliuiscar omnia mala mea, vt amplectar te solum vnum bonum Deus meus? Secunda ratio est, quia fidelis anima non potest ab aliquo fecundari fructu boni operis, nisi à solo Deo. Solus enim vehemens amor Dei complectitur omnia grata in Deum, & omnia ingrata propter Deum: per charitatem complectens inimicum, vtamicum; confusionem, vt honorem; poenam, vt oblectationem; mortem, vt vitam; & sic de alijs, vt sic in nullis prosperis insolescat, in nullis aduersis charitas tepescat, sed semper respondeat dilecto: *Paratum cor meum Deus,* *psal. 56. 107.* *paratum cor meum* scilicet tam in aduersis, q̄ in prosperis. Tertia ratio est, quia ab eo solo donis virtutum subarrhatur, quæ nullus dare potest, nisi solus Deus. Anselmus autem in Profologio addit quartam rationem, dicens: Quatuor sunt, propter quæ fidelis anima sponsa Christi dicitur: Dona gratiarum, quibus subarrhata est in baptisate: castus amor, quo illi sociata est in vnctionis chrismate: proles virtutum, quibus fecundata est diuini verbi dogmate: thorus immaculatus, quo illi in æternum socianda est, omni semoto procul anigmate.

Matrimonium spirituale inter Christum, & animam, quomodo initiatur, confirmatur, & consummatur, ex recordatione beneficiorum Dei. Cap. XCIX.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Sicut matrimoniū carnale inter virum, & mulierem initiatur per verba de futuro, & confirmatur per verba de præsentī, perficiturq; per copulam mutuam subsequentem: sic etiam spirituale matrimonium inter Christum, & animam, initiatur per fidem in baptisate, cōfirmatur in profectu virtutum, & perficitur in gloria, quando inseparabiliter coniungitur anima Christo. Initiato verò matrimonio, iam dicuntur sponsus & sponsa, quia se sibi alterutrum spondet, vt nec ille, nec illa alteri nubat. Inter diem verò desponsationis, & nuptiarum spatium interponitur, quo cōuenire debeant. Quod quidem sapiēter, & vtiliter statutum est, vt interim visitatio mutua frequentetur, & amor mutuus crescat, & augeatur, ac impatiens desiderium cupitæ copulæ, quò magis differtur, amplius ignescat. Et quia, secundum Sallustium: Animæ cupienti nihil satis festinatur: diem nuptiarum indictam properantius adesse desiderant.

H h 2

Sic &

Matrimo-
nij mystici
ignitatio.

Sic & tu, o anima, Christi sponsa iam effecta, dum dies cupitæ copula tardat, at deas amore, æstues desiderio, & anheles suspirio, & sicut ait quidam: *Palleat omnis amans*: & in te pallor, & macies certissima signa sint amoris: Nam si te sponsus marcescere viderit impatienti desiderio, copula diem accelerabit; offeret oscula, iunger amplexus, vt cantare valeas in iubilo: Ecce quod concupiui, iam video; quod amavi, iam teneo. O latum diem talium nuptiarum, & felicem sponfam tali coniugio dignam. Interim sponsa diligenter attendat, qualè sponsus exhibet amorem, vt condignam amoris illius reddat vicem.

Beneficia
Dei ad ani-
mam.

Veraciter enim amans in amato singula reuoluit, & dilectionis affectum excitare, & augere valeat, scilicet ipsius amati conuersationem, pulchritudinem, dulcedinem, beneuolentiam, fidelitatè, & in multis exhibitam charitatem: quia, secundum Augustinũ, ad Dei dilectionem in nobis excitandam, nutriendam, & augmentandam, nihil ita valet, sicut beneficiorum eius frequens, & diligens consideratio. Quod & ipse perficiens, ait: *O anima mea, si cogitare potes, qui & quales in comparatione tui abiecti sunt, qui gratiam, quæ data est tibi, consequi non volebant. Audisti cerre ab initio vsque nunc, quam multæ generationes hominum transierunt, qui omnes sine cognitione Dei, & pretio sui sanguinis in interitum æternũ delapsæ sunt: omnibus illis Redemptor tuus, amator tuus, te prætulit, quando tibi gratiã largitus est, quam nullus illorum percipere meruit. Tu sola præ illis electa es. Et cur id in te factum sit, nullam præter amatoris tui charitatem aliam causam assignare poteris, nec aliud habes, nisi quod saluã te fecit, quia voluit. Et iterum: Miser ego, quantum deberem diligere Deum, qui me fecit, cum non eram; & redemit, cum perieram? & de nihilo fecit me, non lapidem, non arborem, non auem, nõ aliquid de animalibus, sed hominem esse me voluit. Dedit mihi viuere, & discernere. Perieram, & ad mortalem descendit, mortalitatè suscepit, passionem sustinuit, & mortè vicit, & sic me restaurauit. In peccatis meis venundatus eram: venit ille post me vt redimeret me, & tantum dilexit me, vt sanguinis sui pretium impenderet pro me: & tali pacto reduxit me de exilio, & redemit me de seruitio, & nomine suo vocauit me, vt memoriale suum semper esset mecum. *Vixit me oleo letitia*, quo ipse vnctus erat, vt ab vncto essem vnctus, & à Christo vocarer Christianus. Sic gratia eius & misericordia semper præuenerunt me: nec pro his omnibus quid illi rependam habeo, nisi tantum, vt diligam eum ex toto cor-*

A. Cor. 10.
Psal. 44.
Hebr. 1.
Psal. 58.

to cor-

ro corde meo: Non enim melius aut decentius, quam per dilectionē rependi potest, quod per dilectionem datum est. Erit ergo mihi dulce de ijs semper loqui, semper cogitare, semper gratias agere, vt eum pro omnibus beneficijs suis valeam semper laudare & amare. Olim enim compurui in oculis tuis Domine, mihi placens, & hominibus complacere cupies. Et quid erat quod me delectabat, nisi amare, & amari: Et exhalabantur nebulae de limosa concupiscētia carnis, & obfuscabatur cor meum, vt non discerneret serenas dilectionis tuae à caligine libidinis, cum nihil blandius sit tua charitate, nec amatur quicquam salubrius, quā illa praecunctis formosa, & luminosa veritas tua; vbi requies certa reperitur. Tu enim es plenitudo, & indeficiens copia incorruptibilis suauitatis. Quies est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te; intrat in gaudium Domini sui, & non timebit, & habebit se optimē in optimo. Hae sparsim Augustinus. Hinc hortatur Anselmus dicens: Considera nunc anima mea, intendite omnia intima mea; quantum illi debeat tota substantia mea. Certē Domine, quia me fecisti; amori tuo debeo me totum: quia me redemisti, debeo me totum; quia tanta promissisti, debeo me totum. Imò tantum amori tuo debeo plus quam me, quantum tu es maior me; pro me dedisti te. Fac me Domine precor gustare per amorem; quod gusto per cognitionem. Trahe me totum in amorem tuum, & factorum tuum dilectione, quod tuam est conditione. Hae ille.

Hugo verò dicit in tractatu de amore; quod tota vis amoris nostri consistit in tribus. Primò; quod mens aliquid ad fruendum eligat, scilicet summum bonum; alioqui quicquid aliud mens ad fruendum praeter Deum in seipso; aut proximum in Deo, vel illecta, vel decepta elegerit, metas verae dilectionis exit. Secundò; quod ad id quodam interno desiderio sese extendat, dicēdo cum Propheta: *Omnia ossa mea dicunt: Domine, quis similis tibi?* Tertiò; quod id agat, quo ad desideratum peruenire valeat. Et tunc sine dubio amare dicendus est. Et haec quando quis feruentius, instantiusque peregerit, tantò magis & diligit: quam dilectionem debita forma sponsa studeat exequi exemplo sponsi, de quo dicit Bernardus super Cantica: Quod Deus nos dilexit tam dulciter; quod carnem induit; tam sapienter, quod culpam cauit; tam fortiter, quod mortem sustinuit. Et quos in carne visitauit, non carnaliter amauit; sed in prudentia spiritus, amulans nos *emulatione Dei*, non hominis. Et quos quaesuit in carne, dilexit in spiritu; redemit in

Amoris vim consistere in tribus.

Psal. 34.

Deus quomodo dilexit.

2 Cor. 11.

H'h' 3; virtu-

virtute. Plenum prorsus omni suauitatis dulcedine, videre hominem hominis conditorem. In carnis assumptione, condescendit mihi; in culpae vitiatione, consuluit sibi; in mortis susceptione, satisfecit patri, amicus dulcis, consiliarius prudens, adiutor fortis. Huic securus me credo, qui saluare me velit, nouit, possit. Carnis quidem assumpsit veritatem, exhibens in illa consolationem infirmo: sed peccati similitudinem in ea prudenter abscondens, laqueum deceptionis diabolo. Porro, ut Patri nos reconciliaret mortē fortiter subiit, & subegit, fundens pretium nostrae redemptionis sanguinem suum. Ergo nisi dulciter amasset, in carcere nos non requisisset. Iunxit affectioni sapientiā, qua tyrannum deciperet: iunxit & patientiam, qua Patrem offensum placaret. Sic à Christo Christiane discite, quemadmodum diligas Christum. Discite amare dulciter: & ne illectus à mundi gloria, seu carnis voluptatibus, ab amore Domini abducaris, dulcescat tibi præ his sapientia Christus. Discite amare sapienter: & ne deceptus spiritu mendacij, & erroris seducaris, luceat tibi veritas Christus. Discite amare fortiter: & ne oppressus aduersitatibus fatigeris, confortet te virtus Dei Christus. Zelum tuum inflammet charitas, ut sit feruidus, ne teporem habeat: informet scientia, ut sit circumspectus, ne discretione careat: firmet constātia, ut sit inuictus, ne sit timidus. Hoc enim præcepit Dominus dicens: *Dilige Dominum DEUM tuum ex toto corde tuo*, id est, ex toto, & pleno cordis affectu: *& ex tota anima tua*, id est, ex tota rationis vigilātia, & circumspectione: *& ex tota virtute tua*, id est, ut nec mori pro amore eius pertimescas: *quia fortis est ut mors dilectio*. Sit ergo suavis & dulcis Dominus Iesus affectui tuo, contra male dulces vite carnalis illecebras, ut vincat dulcedo dulcedinem, quæadmodum clamum clavis expellit. Sit nihilo minus præmia lux intellectui, & dux rationi, ut cautus sis in tua conuersatione, vitare nimiam & indiscretam vehementiam. Sit etiam fortis & constans amor tuus, nec cedēs terroribus, nec succumbens laboribus. Amemus ergo affectuosè, circumspectè, validè, scientes amorem cordis, quem & affectuosum dicimus, absq; eo, qui dicitur anima; dulcem quidem, sed seducibilem: illū verò absq; eo, qui est virtutis, rationabilem, sed fragile esse. Hæc Bernardus inter alia. Eadem tria etiam tangit Hugo in tractatu de amore, dicens: Interest sanè, quantum quis in dilectione fuerit affectuosus, discretus, & fortis: tantum enim erit & perfectus. Affectus enim prodest contra aduersas dulcedines, discretio contra deceptiones, fortitudo con-

Deus quomodo sit redamandus.

Deut. 6.
 Matth. 22.
 Marc. 12.
 Lucæ 10.
 Cant. 2.

do contra persecutiones. Si quis autem noscitur in his tribus esse perfectus, non solum feliciter, sed & suaviter amat. Sanè si non poterit esse affectuosus, sit tamen discretus & fortis: & si non ad presentem suauitatem, non minus proficiat ad futuram felicitatem.

De matrimonio confirmato, & comparatione amoris sponsi & sponsæ, ac de duobus bonis matrimonij que sunt, fides & proles, & quomodo hæc spiritualiter sint inter Deum & animam. Cap. C.

Dilectus meus mihi, & ego illi. Secundò verò matrimonium spirituale confirmatur in profectu virtutum, vt verius iam dicere possit sponsa: *Dilectus meus mihi*, scilicet intendit, & *ego illi*. Quid sibi vult inter tam dispares ista comparatio, vt sponsa dicat: *Dilectus meus mihi, & ego illi*? Itane huic intèta est illa maiestas, & cui cura seculorù incùbit, ad sola transfertur negotia, vel potius otia amoris & desiderij huius. Ita planè. Nam etsi prouidentiam cæteris creaturis nõ negamus, curam tamen sponsa vendicat sibi Apostolo Petro dicente: *Omnè sollicitudinem vestram proyicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Pet. 5. Quasi diceret: Intendite illi, quia intendit vobis. Quid mirum, si curã illius habet, q̄ adeò dilexit, quòd pro illa semetipsum liberaliter obtulit? Vides quomodo non solum de amore suo te certum reddat, si tu diligis eum; sed etiã de sua sollicitudine, quam pro te gerit, si te senserit sollicitum sui? *Vigilas tu, vigilat ipse.* Et quantumcunq; acceleraueris ipsas anticipare vigilias, eum inuenies, non præuenies. Ego, inquit, *diligentes me diligo, & qui mane vigilat ad me, inuenient me.* Prover. 8. Nam magis amat, & ante. Amor enim illius amorem animæ parit, & illius præcurrens intentio animam facit intentã, sollicitudoque sollicitam. Si hæc anima scit, imò quia scit, miraris, quòd illam maiestatem, quæ cætera non curantem, soli sibi gloriatur intendere: cui soli, postpositis curis omnibus, ipsa tota deuotione intendit. Mirum dico quidem, sed verum, animam Deum videntem haud secus videri, quam si sola videatur à Deo, moxque Deo conformatur, & in eandem imaginem transformatur. Ea ergo fiducia dicit illum intendere sibi, seque illi, nihil præter se & illum intendens. *O quàm bonus es Domine anima te querenti,* affectuosè, discretè, fortiterque diligenti, te sponsum exhibens, occurris & amplecteris. *O felix anima, quæ tantæ dulcedinis benedictione meruit præuenire,* cui tantæ suauitatis completum.

Matrimonij mystici confirmatio.

1. Pet. 5.

Prover. 8.

Amor sponsi ad spòlam.

Thren. 3.